



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros Decretalium, Tomus ...

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Articulus II. De Manumissione Servorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

tutem, peculium tamen, si quod habet, amittit, *cit. c. ex antiquis* 9. Abbas *in c. 2. h. t. nu. 1.* cæterum DEO servit in spiritualibus Ministerijs, *c. 10. dist. 54.*

2233. Not. 2. servum, ut dictum, Domino redditum, manere privatum usu ordinum, & amittere privilegium fori *c. Ex antiquis junct. gloss. V. Religioso privilegio;* nec habitum, nec tonsuram deferre posse; quia manet in statu servi; Toletus *in Summa l. 1. c. 59. nu. 10.* retinere tamen privilegium Canonis, *gloss. in cap. 2. dist. 54. V. ceciderit;* *dist. cit. ibi: ejus conditionis sit, cujus fuerat ante gradum.*

Not. 3. similiter etiam prohiberi, ordinari ob defectum plenæ libertatis libertos, seu libertinos, nisi à Patronis fuerint directè, & sine retentione obsequij temporalis manumissi *c. 5. & c. fin. dist. 54.* quod etiam dicendum est de servis *originarijs*, vel *adscriptitijs* (*Leibzigenen*) si Dominis suis personaliter obligati sint, *cap. 21. dist. 54. V. Laymon. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 8.*

ARTICULUS II.

De Manumissione Servorum.

2234. **A**gimus hîc de manumissione servorum non universim; sed quantum requiritur ad Ordines recipiendos; cum servi non possint licitè ordinari. Hinc ommissis varijs manumissionis formulis apud Romanos usitatis; ac iis etiam, quibus olim in Ecclesia, juxta *c. 1. h. t.* servi manumitti solebant (de quibus videri potest Gonzalez *in cit. c. 2. à nu. 2.*) notandum in hac quæstione *libertinitatis*, & *ingenuitatis jura* ab usu recessisse, & solam manumittentis voluntatem attendi. Un-

de *libertas* locò *ingenuitatis*, hoc loco, sufficit, ut rectè notat Gonzalez *cit. nu. 6.* Quare:

2235. Ut Servus, in præsentî quæstione, censeatur manumissus, & libertate (quæ requiritur ad recipiendos Ordines) potiatur, sufficit, si Dominus servo det licentiam, suscipiendi Ordines, licet sibi reservet operas ejus spirituales; & tali casu, si servus in illis præstandis foret contumax, deponendus esset, *c. 4. h. t. ibi: si quis de servis suis quemquam donaverit libertate, & ipsum in Presbyterum fecerit ordinari*, ille autem postea in superbiâ elatus, Domino suo *horas Canonicas psallere noluerit*; accusatus apud Episcopum, qui ordinaverit eum, *degradetur*; idem sufficit, si Ecclesia, habens servum, ei det licentiam recipiendi Ordines, licet sibi reservet jus, vendicandi sibi post obitum ejus, quidquid acquisivit *c. 3. h. t. ibi: de famulis Ecclesie constituere Presbyteros, & Diaconos per paræcias liceat*, ita tamen, ut antea manumissi statum recipiant libertatis. Quicquid autem talibus extiterit debitum, aut quolibet modo collatum eis in personas extraneas transmittere non licebit; sed omnia ad jus Ecclesie, à qua manumissi sunt, post eorum obitum, debeant pertinere. Quibus (sicut cæteris Ecclesie libertis) accusandi, vel testificandi adversus Ecclesiam, aditus præcludatur: ad quod si aspiraverint, non solum libertatis beneficiò careant, sed etiam honoris gradu, quem non dignitate naturæ, sed necessitate temporis promeruerunt; aut, si eadem concedat servo suo facultatem Ordinum, ea lege, ut Ecclesie ipsi hanc licentiam danti perpetuò serviat *in Divinis Officijs c. 6. h. t.*

QUÆSTIO XIX.

IN TIT. XIX. DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA, ORDINANDIS, VEL NON.

2236. **P**ræter illegitimos, & servilis conditionis homines, ab Ordine Ecclesiastico secluduntur etiam, qui propter aliena negotia, quæ gesserunt, rationibus reddendis sunt obnoxij; puta procuratores, quæstores, tutores, & curatores pupillorum; ne scilicet, si illis obrati maneant, competenti Laicorum foro, per transitum

ad statum Clericalem subtrahantur, vel cum dedecore statûs Clericalis negotijs secularibus impliceantur, ut constat ex *h. t. c. unic.*

2237. Not. autem 1. hoc impedimentum cessare, ubi à talibus ratiocinijs liberati fuerint, ut habetur *cit. c. unic.* intellige, si ab officio, & obligatione rationum de Offi-